



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. II. Solvuntur Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

Amicitia autem præter benevolentiam duo requirit. 1. Jus ad amorem mutuum, seu redamationem; nam amici debent se redamare: nec satisfacit officio amici, qui non redamat, ut per se patet; unde etiam DEUS justos se amantes redamat juxta illud Prov. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* 2. Amicitia requirit proportionem in natura; neque enim homo canem, vel equum, amat amore amicitiae, vel sit eorum amicus, quamvis eis vel maxime quandoque bene velit, e. g. eos cibo exquisitissimo nutriat, etiam sine suo commodo; quia scilicet non datur proportio in natura.

754. At verò inter hominem justum, & DEUM, datur proportio sufficiens in natura, per gratiam sanctificantem, quæ est participatio Divinæ naturæ, in quantum naturam humanam elevat ad tam altum statum, ut participet gradum illum intellectivitatis Divinæ, quem nulla creatura ex se ipsa potest habere, scilicet, ut DEUM videre possit intuitivè; habet enim DEUS solus à natura sua, ut seipsum possit intuitivè videre, & nulla creatura ex se potest eò pertingere: gratia sanctificans tamen ita elevat, saltem radicaliter, naturam humanam, ut possit videre DEUM intuitivè, quatenus scilicet gratia exigit lumen gloriæ, de qua re vide Suarezium. P. 3. de grat. l. 7. c. 1. n. 30. ex quo hæc paulò fusiùs deduxi in tract. de gratia à n. 264. Hæc gratia sanctificans etiam est adoptio in filium DEI: nam adoptio in genere juxta Juristas est assumptio legitima nature extraneæ: per gratiam autem assumit DEUS naturas hominum, & Angelorum, sibi extraneas, scilicet nec identificatas, nec unitas. Eadem quoque gratia est jus ad redamationem: & hinc parvuli baptizati ante usum rationis habent jus ad hoc, ut DEUS eos amet, etiam si ipsi eum necdum amare possint. Ex quo inferitur (quod suprà diximus) actum charitatis Theologicæ semper esse actum amicitiae, inter DEUM, & hominem; nam vel homo pro priori jam est justus, & amicus DEI: vel certè redditur per ipsum actum charitatis in eodem instanti amicus: adeoque actus charitatis est actus amicitiae, saltem renovata.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

755. **O**B. 1. contra 3. conclusionem. Homines non adorantur ab habitu latriæ, propter excellentiam DEI: ergo neque amantur ab habitu charitatis, propter bonitatem DEI. ant. videtur certum. conseq. constat ex paritate rationis. Resp. neg. conf. & paritatem, quam etiam negat S. Thomas. 2. 2. q. 25. a. 1. ad 2. dicens: *Amor respicit bonum in communi: sed honor respicit proprium bonum honorati; deferitur enim alicui in ta-*

limonium propria virtutis, & ideo amor non diversificatur specie propter diversam quantitatem bonitatis diversorum, dummodo referantur ad aliquod unum bonum commune: sed honor diversificatur secundum propria bona singulorum. Unde eodem amore charitatis diligimus omnes proximos, in quantum referuntur ad unum bonum commune, quod est DEUS: sed diversos honores diversis deferimus, secundum propriam virtutem singulorum; & similiter DEO singulare honorem latriæ exhibemus, propter ejus singularem virtutem.

756. Ne autem obijci possit, quod, sicut amor in communi respicit bonum in communi, ita etiam honor in communi respiciat tantum excellentiam in communi: & sicut honor in specie respicit excellentiam in specie, ita etiam amor in specie respiciat bonitatem in specie: respondet Gormaz tract. de charit. Theol. disp. 2. n. 89. & seq. (ubi citat Contentonum, Granadum, & Ripaldam) Angelicum tantum velle dicere, quod amor, licet utique possit ferri specialiter actu in bonitatem in specie, tamen etiam possit ferri in bonum commune, adeoque non necessariò exigit in objecto materiali bonitatem: quam enim bonitatem e. g. invenit amor DEI in gravissimo peccatore? econtra verò honor non possit ferri in excellentiam in communi, sed debeat ferri in excellentiam in specie: & hinc nemo possit honorari præcisè propter excellentiam alterius: sed, si quis etiam propter alterum honoretur, e. g. prorex propter regem, tunc hæc ipsa assumptio, vel elevatio ad officium proregis, sit excellentia aliqua propria talis hominis: sitque motivum colendi proregem.

757. Verum videtur sæpe aliquid colli, propter excellentiam alterius, & non propter propriam, præsertim quando aliquid colitur cultu, qui vocatur respectivus. Sic adoratur lignum sanctæ crucis, quod non habet tantam excellentiam sibi propriam, ut propter eam adorari debeat. Unde non male idem Gormaz tr. de charitate disp. 2. sec. 2. n. 90. & seq. ait, amorem ita tendere in bonum commune, ut nullam bonitatem in objecto materiali, propter alium amato, exigit, nisi bonitatem alterius, ob quam amatur, applicatam moraliter, e. g. per voluntatem, qua amatus vult, hanc rem propter se amari: & sic propter DEUM amamus hostes nostros infensissimos, peccatores gravissimos &c.

At verò honor, seu cultus, ut idem author vult, non fertur tantum in excellentiam in communi, sed exigit saltem aliquam dignitatem, vel excellentiam propriam, in objecto honorato, quam etiam habent ii, qui honorantur propter alium, e. g. prorex, sacerdos, sancta crux, aut vasa sacra &c. supposita autem tali speciali dignitate in objecto, potest dein istud honorari, vel cultu minore, ipsius speciali excellentiæ debito, vel cultu majore respectivo, propter excellentiam alterius: & sic sancta crux dic

die parasceves adoratur cultu latriæ respectivo.

758. Sicut autem, ut possimus aliquem amare propter DEUM, debet ipsi esse applicata bonitas DEI (& hæc applicata est omnibus, e. g. proximis nostris per voluntatem, imò per præceptum Divinum, quo jubemur, eos diligere propter DEUM, & iis benefacere) sic etiam, ut aliquid colamus propter DEUM, debet ei esse applicata excellentia DEI, per aliquam voluntatem, vel beneplacitum ipsius, quo DEUS ostendat, sibi placere, tales, vel tales res, coli propter se: & sic applicata est excellentia DEI rebus à Christo tactis, e. g. sanctæ cruci, coronæ spinæ, vel vestibus Christi: item sacerdotibus, & ministris altaris &c.

759. Non tamen semper excellentia DEI, est rebus applicata in tantum, ut adorari possint cultu latriæ, etiam tantum respectivo; nam, sicut e. g. si quis imperator assumit aliquem in consortium imperii, applicat, vel communicat illi suam dignitatem omnino ita, ut parem excellentiam habeat, & pariter honoretur: at non ita applicat illam ei, quem assumit in proregem, vel legatum, aut ministrum: quamvis & hic propter applicatam ipsi aliquousque imperatoris dignitatem, vel excellentiam, honorandus sit: ita etiam potest DEUS diversimodè applicare excellentiam suam creaturæ; non quidem, ut æqualiter ipsi digna fiat: sed ut vel magis, vel minus colatur, & vel cultu latriæ respectivo, vel inferiore.

Sic DEUS applicat excellentiam suam sanctæ cruci, ut adoretur cultu latriæ respectivo: at non ita eam applicat quibuslibet sacerdotibus, vel sacerdotibus. Præsertim autem non ita DEUS applicat excellentiam suam viventibus hominibus, ob periculum idololatriæ: & nullo modo eam applicat animalibus irrationalibus; hinc nullo modo potest coli asinus, cui Christus Dominica Palmaram insedit. Cui autem rei sit, vel non sit applicata excellentia DEI: item cui in ordine ad hunc, vel alium cultum, excellentia DEI sit applicata, desumi debet ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ.

760. Addendum hic etiam, magnum esse discrimen, inter adorationem tantum respectivam, & absolutam; nam per istam adoratur res, tanquam in se ipsa dignitatis supremæ: per illam autem res adoratur, tantum ut relata ad aliam rem supremæ dignitatis, propter seipsam adoratam. Unde non est saltem formaliter, eadem virtus elicitiva utriusque adorationis; nam virtus, respectivè adorans creaturam, præter excellentiam Divinam exigit etiam creatam, ut ex supra dictis habetur: non autem virtus adorans DEUM. Econtra charitas, sive amet DEUM solum, sive etiam propter hunc amet proximum, non exigit aliam bonitatem, quam Divinam; quia in proximo nullam requirit. Hinc est, quod S. Thomas 2. 2. q. 81. a. 4. ad 3. dicit: *Charitas, qua diligitur DEUS, non est virtus distincta à charitate, qua diligitur proximus: religio*

autem, qua honoratur DEUS, distinguitur à virtutibus, quibus honoratur proximus. vide Gormaz de charit. disp. 1. n. 87.

Quod si quis contenderet, non esse necessariam specialem dignitatem in objecto materiali cultus latriæ, sicut diximus, non esse necessariam specialem bonitatem in objecto materiali actus charitatis: inprimis aperte contradiceret Angelico: dein nil evinceret contra nostram assertionem; nam facile responderetur, hominibus, in ordine ad actum charitatis, applicatam esse bonitatem Divinam, per præceptum dilectionis, ut constet ex praxi, & usu Ecclesiæ, ac communi sensu Theologorum: non autem iisdem applicatam esse excellentiam DEI, in ordine ad cultum latriæ, ut iterum constet ex praxi, & usu Ecclesiæ, ac communi doctorum.

761. Ob. 2. Si possumus per actum charitatis amare etiam alia, tanquam objectum materiale, possumus etiam amare damnatos, demones, & homines: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. sicut ex amore DEI gaudemus de felicitate Beatorum; quia ex hac redundat in DEUM laus, & gloria: ita possumus tristari, quod damnati non venerint in coelum, in quo æternum laudassent DEUM, quæ laus nunc DEO non datur: sed ita tristari de eorum malo est ipsos amare: ergo. Resp. dist. ma. possumus etiam amare damnatos, tanquam purum objectum materiale quod. conc. ma. tanquam objectum materiale cui, seu tanquam finem cui, ita, ut ipsis propter DEUM velimus aliquod bonum, sicut volumus Sanctis, vel etiam proximo adhuc viventi. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf.

762. Possumus quidem velle, seu desiderare, ut damnati non peccassent, sed potius DEUM in æternum laudassent: hoc autem tantum possumus desiderare; quia aliquo modo esset bonum DEO: non autem, quia est bonum ipsis; nam non est amplius ipsis applicata bonitas DEI, ita, ut DEUS velit, vel gratum habeat, ut ipsis bene velimus, vel beneficiamus, sicut proximis nostris adhuc viventibus, etiam peccatoribus, & infidelibus &c. cum damnati sint exclusi ab omni misericordia DEI, & ab hoc maledicti. Possumus etiam ex charitate erga DEUM velle, eos in poenis conservari, & pro meritis justè puniri, quatenus istud ex suppositione peccati cedit in gloriam DEI. Utrumque hoc tradit S. Thomas 2. 2. q. 29. a. 11. in corp. sic scribens: *Illud autem bonum vite æternæ, quod respicit charitas, spiritibus illis, à DEO æternaliter damnatis, ex charitate velle non possumus; hoc enim repugnaret charitati DEI, per quam ejus justitiam approbamus.* & infra. *Naturam demonum etiam ex charitate diligere possumus, in quantum scilicet volumus, illos spiritus in suis naturalibus conservari ad gloriam DEI.*

763. Ob. 3. contr. 5. conclus. Aristoteles 8. ethic. c. 7. ait: *Id autem perspicuum est, si multa virtutis, & vitij affluentia, aut alicujus alterius distantia fuerit;*

ARTICULUS III.

An Habitus Charitatis augeatur etiam per actus remissos.

non enim amplius sunt amici: sed ne esse quidem se dignum putant; hoc autem in Diis clarissime patet, qui plurimum omnibus bonis præstant: ergo non datur amicitia inter Deos, & homines, minus inter verum DEUM, & hominem. Confir. 1. Homo est essentialiter servus DEI: sed servus non potest esse amicus domini sui: ergo nec homo potest esse amicus DEI. Confir. 2. Nescimus, an DEUS nos redamet: ergo non potest dari in nobis mutua redamatio. Resp. concessio textu Aristotelis, neg. conf. Philosophus non agnovit hanc accidentalem in natura proportionem hominis cum DEO, quod ipsi tanquam ethnico ignoscendum est; quamvis Haunoldus l. 3. tract. 2. n. 549. velit, Aristotelem admisisse aliquam amicitiam inter DEUM, & hominem; licet eam voluerit, esse non vulgarem, seu ejusdem rationis cum amicitia hominum inter se.

764. Ad 1. confir. dist. mi. Servus non potest esse amicus domini sui, sine speciali favore domini. conc. mi. cum speciali favore domini. neg. mi. & conf. Licet enim servus non possit ex se, sive ex jure sui status, exigere amicitiam cum domino suo, potest tamen ad eam elevari per specialem favorem. Equidem in humanis, si dominus servum suum elevat ad statum amici, tollitur servitus; quia hæc tantum accidentaliter est (potuisset enim, qui natus est servus Caji, nasci ejusdem dominus) & hinc per accidentalem etiam favorem domini tolli potest: sicut sæpe etiam aliis modis à lege probatis tollitur. At verò, si DEUS creaturam rationalem elevat ad statum sui amici, per hoc non tollitur servitus creaturæ respectu DEI; quia essentialis est, & tolli non potest.

765. Ad 2. confir. Resp. 1. om. ant. neg. conf. Etiam si omnino nesciremus, DEUM nos amare, possemus tamen ipsum amare propter ipsum: & sic saltem ex parte nostra daretur actus amicitiae, licet nesciremus, an etiam daretur ex parte DEI, adeoque nesciremus, an amicitia esset mutua. Quia tamen Philosophus requirit ad amicitiam, ut sit amor mutuus non latens. Resp. 2. neg. ant. sumus certi, quod DEUS nos redamet, si nos ipsum vero amore amemus: imò prior ipse dilexit nos. Non autem requiritur, ut absoluta certitudine sciamus, quod DEUS nos amicabiliter redamet; alias haberemus absolutam certitudinem de statu gratiæ, quod est falsum.

Dices. DEUS omnia, quæ amat, ultimato refert ad se tanquam finem ultimum, à se necessario intentum: ergo non amat nos amore amicitiae. Resp. neg. conseq. Licet DEUS tandem omnia, quæ amat, referat ad se, tanquam finem ultimum excellentiæ, tamen simul nos ita amat, ut ex hoc suo amore velit nobis bona; quia nobis bona sunt, eaque referat ad nos, tanquam finem utilitatis, quod sufficit ad amorem amicitiae, qualis possibilis est inter DEUM, & hominem.

766. Suppono 1. habitum charitatis, & habitum gratiæ (seu charitatem Theologicam habitualem, & gratiam habitualem) quos in tract. de gratia n. 266. dixi, verosimiliter esse distinctos, tamen esse inter se ita connexos, ut aucto uno, augeatur & alter, ut docent Haunoldus l. 3. tr. 2. n. 560. & Tannerus tom. 3. disp. 2. q. 2. dub. 5. n. 143. ex hac solida ratione; quia, DEO esse gratum, & esse ejus amicum, se mutuo consequuntur: ergo, quantum quis DEO fit gratus per gratiam, tantum fit amicus per charitatem: nec puto, ullum Theologum hac in re dissentire: imò Rhodes tr. 6. de virtutibus disp. 1. q. 3. sec. 2. censet, parum esse rationem de gratia, ac omnibus aliis habitibus infusis.

Suppono 2. charitatem posse intensivè augeri, seu esse capacem intensificationis, quancunque dein ratione intendatur, quod Philosophis disputandum relinquimus: & hoc iterum supponunt omnes Theologi.

767. Suppono 3. habitum charitatis intendi, vel augeri, saltem per actus intensiores ipso habitu, e. g. si quis, habens habitum ut duo, eliciat cum speciali auxilio DEI actum ut quatuor, augebitur habitus ejus. Nec potest negari talis casus possibilis; si enim peccatori, non habenti habitum, datur e. g. auxilium, ut possit elicere actum ut tria (non enim peccatores tantum possunt elicere actus remissos, sed aliquando valde intensos, & hos defacto elicerunt, e. g. S. Magdalena, quando dilexit multum) cur justo habenti habitum ut duo, nunquam datur auxilium ut tria, vel etiam auxilium ut quatuor, cum quo eliciat actum habitu intensiorem? Tunc autem intendi habitum omnes concedunt; alias nunquam tenderetur, consequenter nec gratia, quod est falsum. Questio jam est, an isti habitus etiam intendantur per actus remissos, e. g. habitus intensus ut tria, per actum intensum ut duo.

768. Dico. Habitus charitatis intenditur etiam per actus remissos. Ita communis auctores, quos vide apud Tannerum tom. 3. disp. 2. dub. 5. n. 143. Rhodes, & alios. S. Thomas autem, qui 2. 2. q. 24. a. 6. in corp. posset videri contrarius, verosimiliter tantum negat augmentum notabile charitatis: non autem omne augmentum; nam ad 2. explicat augmentum, vel, ut vocat, dispositionem ad augmentum, similitudine guttarum lapidem excavantium: quarum tamen qualibet, quamvis non notabiliter, lapidem excavat: atque hac ipsa modica excavatione ad majorem, seu notabiliorem, suo modo disponit: & hinc S. Doctor videtur illam minorem excavationem appellare dispositionem ad excavationem majorem. Prob. conclusio. Gratia sanctificans, sive sit